



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

16. Simplicitas.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

ladium devitem; quia scriptum est: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Psal. 5.

*Aspirationes.*

I. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Psal. 14. 1.

II. *Amplectere veritatem, & fruere illâ: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* S. Aug. de lib. arbit. c. 17.

III. *O Spiritus veritatis, qui diligis veritatem, fac me quoque eam diligere!*

PASSUS XVI.

*Simplicitas.*

TEXTUS.

*Estote prudentes sicut serpentes,  
& simplices sicut columbæ.*  
Matth. c. 10. 10.

*Cognitio.*

**S**implicitas est sinceritas, vel candor animi, ab omni dolo, simulatione, & fuce alieni, qualis est in pueris & infantibus.  
S. Clemens Alexand.

## Actus:

1. Talem se exhibere verbis & factis, qualis est; nec probitatem, perfectionem, aut sanctitatem, quâ caret, simulare.
2. Directori conscientia, pro directione, bonâ & mala candidè manifestare.
3. In rerum spiritualium cognitione, defectum suum, modicamque experientiam, ingenuè profiteri.
4. Operibus bonis mala non admiscere, nullius facta pervertere, nullius bona depravare, nullius dona diminuere, neminem lædere, omnibus velle prodesse.
5. De Domino Deo & servis ejus in bonitate sentire: & sicut exterius bona omnibus nos cupere profiteremur; ita illis bona interiùs desiderare.
6. Operum inutilium multiplicatatem vitare, & bona opera in unam simplicem DEO placendi intentionem colligere.

## Consideratio.

Simplicitatis amorem ac desiderium merito sanè nobis injicit ejusdem amabilis virtutis dignitas & utilitas: nam I. Familiaritatem cum Deo conciliat; quoniam *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Proverb. c. 3. 32. II. Salutem adfert: *Qui ambulat simpliciter, salvus erit.* Proverb. c. 28. 18.

III. Ex illius defectu, difficultas salutis nascitur: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* Math. c. 18. 3.  
*Ergo sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate quarite illum.* Sap. c. 1.

*Petitio.*

Domine JESU Chrille, qui dixisti: *Invita parvulos venire ad Me, talium est enim regnum caelorum;* fac me, obsecro, simplicitate & sinceritate parvulum, quæ est sapientia justorum: *Nihil scilicet per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera uti sunt, diligere, falsa de vitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuria ultionem quarere, pro veritate contumeliam, lucrum putare.* S. Gregor. L. 8. moral. c. 38. Et licet hæc justorum simplicitas derideatur, atque à mundi sapientibus fatuitas reputetur; da mihi nihilominus ab ea nunquam deflectere, ut non cum mundi sapientibus reprober; sed cum justis & simplicibus caelorum regnum intrare merear.

*Aspirationes.*

I. Impleamus, Domine, illud Apostoli tui: *Malitia parvuli estote.* I Corinth. c. 14.  
*Deponentes omnem dolum & simulationem.*  
 I. Petri c. 2. 3.

II. *In simplicitate cordis querite illum.*  
 Sap. c. 1. 1. *Cordis enim simplicitas dies est,*  
*quam fraus non obnubilat, non obscurat men-*  
*dacium.* S. Gregor. in 4. Psal. Pœnit.

III. *Domine, hoc oro, ut simus sinceri*  
*& sine offensa in diem Christi.* Ad Phil. c. 1. 10.

## P A S S U S XVII.

### Amicitia.

### TEXTUS.

*Amicus fidelis protectio fortis;*  
*qui invenit illum, invenit*  
*thesaurum.* Eccli. c. 6. 14.

### Cognitio.

**A**micitia est amor mutua benevolentia;  
 super aliqua communicatione fundatus.  
 D. Thomas 2. 2. q. 13. a. 3.

### Actus:

1. *Benevolentia* in affectu, quâ amicus propter se, & non propter bona sua diligitur.
2. *Concordia* in sensu & voluntate.
3. *Beneficentia* in effectu, seu bonorum communicatione.